



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Gefördert durch

DFG Deutsche
Forschungsgemeinschaft

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

**'DFG-Projekt "Personales Gelegenheitsschrifttum in der SuUB
Bremen (16. bis 19. Jhd.). Digitalisierung und Erschließung."**

**Memoria Viri Summe Reverendi, Amplissimi Ac
Doctissimi, Dn. Christophori Bernhardi Crusen, ..., Ædis
D. Petri Cathedralis Bremensis Pastoris Primarii, ...
Superintendentis, Et Scholarchæ, ... Exposita**

Lochner, Jacob Hieronymus

Bremæ, 1744-11-29

VD18 91018188

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Signatur: brem.a.0619-41

[urn:nbn:de:gbv:46:1-180988](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:46:1-180988)

MEMORIA

VIRI SUMME REVERENDI, AMPLISSIMI
AC DOCTISSIMI,

**D_N. CHRISTOPHORI
BERNHARDI
CRUSEN,**

IN DUCATIBUS BREMENSI ET VERDENSI CONSILIARII
ECCLESIASTICI, ÆDIS D. PETRI CATHEDRALIS
BREMENSIS

PASTORIS PRIMARII,
EJUSQUE AC VICINARUM ECCLESIAARUM
SUPERINTENDENTIS,


ET

SCHOLARCHÆ,

OBSERVANTIÆ CAUSA POSTERITATI EXPOSITA

A

JACOBO HIERONYMO LOCHNERO,
RECTORE ATHENÆI SCHOLÆQUE CATHEDRALIS
BREMENSIS.



BREMÆ,
LITERIS B. HERMANNI CHRISTOPHORI JANI,



† † † † †
doctorem & Pastorem Ecclesie officia gravissime descripta leguntur in Ecclesiaste, qui ab Hebraeis Coheleth appellatur, Cap. XII, 9. sqq. Cum esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarravit quae fecerat: Et investigans composuit parabolas multas. Quasivivit verba utilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos. Verba sapientium sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quae per magistrorum consilium data sunt a Pastore vero. Auctor libri, Filius Davidis, Rex Hierosolymorum, ut Cap. I. denominatur, non alius esse potest, quam

Salomo. Idem vero filius erat, per regenerantem Gratiam, Coheleth, id est, Congregatrix, nimirum Caelestis illius Sapientiae, quam in Proverbiis mirifice extollit, quae aberrans a divina veritate genus hominum, revocat ad pietatis debitae officium, & glorientis gallinae instar, sub alas congregat pullos suos. Ab hac magistra inde a puero edoctus eductusque fuerat Jedidja, electus & dilectus Domini, Salomo. 2 Sam. 12, 25. Ab eadem in rectam orbitam, a qua totus dolexerat aliquandiu, reductus erat senescens, ac serio respiciens Salomo. Unde publicum ingenue poenitentiae testimonium universae ecclesiae, totique orbi terrarum, relinquere voluit, inspirante ipsa illa Sapientia, quae unice quaerit perditum sanare. Aversa a vanitatibus hujus saeculi mens regia, foliis aeternis, castis, beatis amoribus Divini Numinis ante obitum se devotam ostendebat, tuoque exemplo lectores quoscunque omnium saeculorum ad premenda vestigia sanctiora invitabat. Quod merito interpretes colligunt ex nervosa senii descriptione, Ecclesiastae Cap. XII. primis lineis: Nec non ex commendatis a Spiritu Sancto, teste vero, Salomonis viis: 2 Chron. XI, 17. alteroque poenitentiae Salomonae ante mortem indicio, expresso Prov. XXX, 7. 8. Neque vero sua sese jactat sapientia Vir divinus, sed auctorem & collatorem salutis sapientiae, Deum ecelebrat, divinaeque inspirationis certum se esse significat, cum in Deo gloriatur, sapientem se ex desipiente redditum esse, instructumque ad docendum populum Israeliticum. ut sine faeco, non tamen sine dolore, enarrare possit, quae perperam fecerat, immersus vanitatibus mundanis; quaeque iterum recte egerat, conversus, renovatus, sanctificatus auxiliis gratiae supernatis. Quam vim gratissimam animo fecerat Deus Servator, parabolis quam plurimis, ceu telis perimentibus pravam concupiscentiam, cordi infixis. Quibus non sibi tantum, sed innumeris aliis pariter consultum voluit Regum sapientissimus, dum ad utilitatem, ad salutem, ad rectam institutionem hominum, in literas retulit oracula vera, divinitus sibi tradita. Quae quidem caeli munera quaesivit ea cura, sollicitudine, opera, qua metalli fossores auri venas argentique scrutantur inde tessi. Quaeque verba, sapientiae plena, & salutifera aegris animis, iis vero qui sanitati mentis restituti sunt necessaria, ad peragenda vocationis caelestis opera, auro cariora omnino habenda sunt a veris rerum censoribus. Vis autem vorticordia his verbis oris Domini accedit ab oris Domini Spiritu, vivifico, omnipotente, creante novos homines modo ineffabili, & profligante quicquid inimica vis, rabies, astus adversariorum opponit operi divino. Hi sunt illi stimuli aculeum relinquentes in contrito corde; Act. II, 37. & impetentes; si qui signis incedunt post conversionem. in via mandatorum Dei. Luc. XXIV, 25. Hi sunt paxilli clavique, alte infixi, quibus tabernaculum, quod Deus incolit, novi cordis, contra turbines procellasque immotum retinetur; Apoc. XXI, 3. Matth. VII, 25. Jes. LIV, 2. at vetus homo cum Christo cruci affigitur. Rom. VI, 6. Auscultat vero etiam vir *hōmō* aliorum consiliis, quos unus idemque Spiritus Dei agit: Ut Salomo Moysi, Josuae, Samuelis, Davidis, Nathanis acroamata avidus hausit, ac tantorum commilitonum voce exemploque ad virtutes, ad obsequium voluntatis divinae, ad praecleara omnia excitatus, confirmatus, praeparatus fuit. 2 Tim. III, 16. 17. Unus autem Pastor universi gregis pascuorum Dei, est aeternus Dei Filius, per quem, & propter quem facta sunt omnia. Jo. X, 12. Hebr. XIII, 20. C. I, 2. C. II, 7. 8. Is ipse constituit Ministros Ecclesiae fidos ac doctos omni aevo, per quos peculium suum sana doctrina pasceret, atque ad fluentia vivae aquae duceret. Jer. III, 15.

Associatus fuerat a Principe Pastorum reverendo huic ordini pascentium gregem Dei, Vir Summe Reverendus, Amplissimus & Doctissimus, CHRISTOPHORUS BERNHARDUS CRUSEN, Consiliarius Consistorii Regii Stadenensis, Ecclesiae Cathedralis Bremensis Pastor Primarius, ejusque & vicinarum Ecclesiarum in hac Dioecesi Superintendens, nec non Scholarcha Atheni Scholaeque Cathedralis: Cujus ex hac statione abitum merito luget Ecclesia nostra. Etenim orator sacer erat admodum facundus, & in docendo luculentus ac perspicuus, idemque brevis, qui multa paucis diceret: Quas virtutes in oratore uno rarius copulatas inveniri experientia testis est. Venerat ille in senentem Antecessorum suorum, qui per integrum saeculum in Sede Cathedrali docuerant, diu occulsa, sed ad aperta tandem iterum, ac cultui divino publico consecrata. Igitur de messe quam maxime sollicitus urisit in primis virtutum christianarum proventum, & fructus evangelii professione dignos. Ostendebat, Evangelio cum lege divina convenire, quod ad mandatorum observationem spectat, neque *evāgelium* esse debere Evangelii Christi Confessores, sed *in vōm*. Insinuabat, regulam vitae immutabilem renatis propositam esse legem justitiae, cui obtemperant, in qua ambulant, qua discernantur ab hujus mundi filiis, carnis cupidini obnoxiiis. Sed & omnia alia capita doctrinae sacrae, & mysteria fidei, suo loco, exponebat nervose, & pro concione docens, & catechetica institutione erudiens auditorium, & quacunque occasione data S. Ministerii partibus defungens. Cum ad nos accederet, de Doctoribus Ecclesiae, ut Legatis Dei, ex 2 Cor. V, 20. primo sermone publico perorabat. Id igitur sibi negotii credidit dari, ut Domini causam sedulo ageret, & recte exequeretur commissis sibi divinitus munia, quae apud nos per quatuor fere lustra dextre obiit. Aquilina ipsius senecta, cum aliis, tum ipsi Venerabili Antistiti, spem fecerat aevi longioris; sed vertente anno ecclesiastico Dominica XXVI. post Trinitatis, de suggestu descendens subito apoplexia tactus, domum deportandus erat ab auditoribus, cum dextrum latus, motu spirituum vitalium suffocato, praepeditum esset, ne manus vel pes facerent officium suum: loquelae etiam usus e vestigio interceptus fuerat. Ante paucos menses parentaverat Collegae suo, Viro Plurimum Reverendo & Doctissimo, PETRO VAGTIO, piz memoriz,

moriæ, Pastori Seniori Cathedralis Ecclesiæ meritis juxta annisque gravissimo, explanans illam
 Pauli vocem: Hebr. XIII, 7. Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum
 Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Idem pietatis officium debe-
 mus defuncto Præsuli nostro Dignissimo. Dixerat ultimo illo sermone suo, Domin. XXVI. p.
 Trin. de Gradibus Gloriæ in altera vita, & æternis damnatorum cruciatibus, religionis lineis
 extremis. Gloriæ gradus ex ordine, quo delectatur Deus in ipsis Angelorum choris, deducebat:
 addebat, gradus in certamine athletarum Christi diversos esse, unde præmia discreta conveniant
 certantibus: denique in gradibus damnationis esse gradus, esse proportionem pœnæ ad delictum,
 docebat; paria itaque in gradibus gloriæ beatorum quoque observari monstrabat. Aeternum au-
 tem reproborum cruciatum, ex decreto divino clarissimis verbis expresso derivabat: & Regnum
 Justitiæ apud inferos justo judicio hunc processum adversus læsæ Majestatis divinæ reos adhibere
 indicabat: spretam misericordiam merito recedere a damnatis addebat: & iras atque inimicitias
 malorum adversus Deum & legem sempiternas, haud aliter coerceri posse significabat. Sane hæc
 moribundi Doctoris ultima verba, de extremis hominum sortibus, fas est alta mente reponere,
 cum in his ipsis longe gravissimis momenti sermonem, munus, vitam ipsam finierit. Nemo non
 cum Ephremo, Edeffenæ Ecclesiæ Diacono, docto juxta pioque viro, in Sermone de Judicio Ex-
 tremo, & de Compunctione, pronunciabit: Futurum est, ut unusquisque nostrum propria facta
 & dicta ante incorrupti & tremendi judicis tribunal deferat. Mihi sane cor tremit, & renes im-
 mutantur, dum cogito de actu omnium manifestatione, cogitationumque ac sermonum omnium
 discussione, quæ ibi fiet. Magnus tum erit timor, o fratres carissimi, & magnus tremor, o a-
 mici mei. Quis ergo non perhorrescat, aut quis non lugeat ac ploret? quoniam omnia ibi mani-
 festabuntur, quæ unusquisque in occulto hic gesserit. Horrendum, fratres, ibi erit judicium, in
 quo etiam absque testibus cuncta erunt manifesta opera & sermones, cogitationes & animorum
 sensa. Hæc pia dicta Ephremi, mutum os Doctoris nostri insculpat imis sensibus! Sed & ceteras
 virtutes nostri CRUSENII memori mente servemus, & vivo monumento recondamus. In er-
 roribus confutandis, ut seriam rem agebat, & pondera argumentorum, tanquam arietes falsæ
 doctrinæ labefactandæ admovebat; ita tamen cum errantibus agebat, ut medicus cum ægro corpore
 quod tractat, sanandi cupidissimus. Insignem animi moderationem suspiciebamus in elenchis ejus,
 sane quidem haud cassis. Temperat enim summa providentia ita operas, quas in sacra Ecclesiæ mi-
 litia adhibet, ut Theologorum alii tonitrua loquantur; alii leniter gravissimas res proponere cal-
 leant, & vel sic dissentientes lucrifaciant. Quæ ingeniorum atque animorum diversitas, Ecclesiæ
 tamen utilis esse deprehenditur, dicente Apostolo, 2 Cor. V, 13. sive insanimus, Deo insanimus,
 sive sani sumus, vobis sumus. Et Lutheri zelus, ac Melancthonis lenitas, Reformationis Ecce-
 siasticæ negotio egregie utrinque sublevit. Si vitæ rationes recordamur, quas apud Antislitem
 Venerandum observavimus, comitas in sermone, urbanitas in conversatione, tranquillitas animi in
 rebus adversis, prudentia in rebus dijudicandis atque agendis, benevolentia erga omne genus homi-
 num, celebrantur assiduis eorum præconiis, qui familiarius eo uti, propius illam incholem honestam
 contueri, & dotes illas singulares æstimare potuerunt. Ceterum non Angelorum in bono confirma-
 torum, sed Filiorum Hominis ministerio Deus utitur in Ecclesia exadificanda. In nunciis suis naves
 offendit, & homines *ἰσοπαθεῖς* ad curandos affectus aliorum ablegat. Job. IV, 18. Jac. V, 17. Igitur
 non exemit se labantium mortalium numero, quem nos laudibus extollimus, Dux gregis nostri; sed
 cum piis ad unum omnibus deprecatus est judicium divinum, suæque tegi peccata supplex oravit. Pf.
 XXXII, 1. 6. Idem procul dubio, cum taceret, correptus funesto impetu morbi attoniti, clamavit
 gemitibus inenarrabilibus: & universus coetus pro Doctore Dilectissimo intercessit calidis votis,
 suspiriis, precibus. Reddita ita anima est Sospitatori Potentissimo, vinculis fracti corporis eluctata:
 ipsum vero corpus exanime revertetur in terram, magnam matrem corporum terra ortorum, qui
ἐφ' ἡμῶν divinus rem ingratorum, mortem, nomine non ingrato effert, Gen. III, 19. postquam pla-
 catus per *Μετάνοιαν* peccatoribus fuerat Deus.

Sed *τὸ Μοναχικόν* CRUSENII, post fata usquequaque Venerabilis, cursum vitæ, studiorum,
 honorum, fortunarum, velut in tabella repræsentare juvat, inde à primæ origine; idque ex avto-
 grapho, quod Ipse brevibus concinnavit, ut, quas DEO suo propitio gratias deberet, oculis perpe-
 tim obverlaretur. Brinckemii natus est in Comitatu Hoyensi, Anno MDCLXXIV, die xv. Decem-
 bris, Patre Plurimum Reverendo & Doctissimo Viro, CHRISTOPHORO CRUSEN, Pastore Brin-
 kumensi, & Matre, CATHARINA BEYEN, sexus feminei virtutibus ornatissima conjuge. Pa-
 ternus Avus, filio felix, felicior nepote, erat Vir Honestissimus, HENRICUS CRUSEN, Civis
 Cellensis & Aulæ Serarius. Avum Maternum habuit HENRICUM BEYEN, Civem apud Buxte-
 hudenses Spectabilem. Scholam vernaculam apud Brinkumenses magistrum ad pietatem & litteras
 primam habuit, usque ad octavum ætatis annum. Pia & prudens Mater, post obitum Mariti ad
 sui amores flexit Plurimum Reverendum & Doctissimum Virum, LAURENTIUM CHRISTO-
 PHORUM ERICHIUM, tunc temporis Pastorem Brinkumensem, postea Bassumensem, ac tandem
 Cellensem; quo Vitrico æque ac germano Parente ita usus est, ut amoris, fidei, curæ paternæ
 præco perpetuus esset; qui & ipse privigni, non ad vulgaria nati, ingenium primus latinis litteris
 imbuit toto triennio. Quibus tirociniis positis, ad Scholam Cathedralem Bremensem missus est,
 Anno MDCLXXXVI. docentibus in ea cum fructu insigni Rectore Gassitio, Conrectore M. Wil-
 lemero, & Subrectore Buslingio, Viris Præclarissimis Doctissimisque. Classi tertiæ adscriptus,
 post dimidium annum ad secundam promovendus jam erat: biennioque ibi exacto, translatus est
 ad primam Classem: elapsis iterum annis duobus Athenæo Regio insertus est. Etenim præcoci
 ingenio & felici donatus erat CRUSENIUS noster, quod diligentia indefessa ita excolebat, ut
 bene ominarentur de eo, qui delectum ingeniorum habebant omnes. Sæquiannum triverat in
 doctis Athenæi pulpitis, tum Anno MDCXCII. ad Academiam Rostochiensis se conferebat, &
 inclytis Doctoribus Theologis, Fechtio, Habichhorstio, Quistorpio, Wolfio & Starckio se for-
 mandum in sanctiori disciplina tradebat, per annos duos. Hinc se convertit ad Almam Juliam,
 in qua rursus per biennium versatus, ut decet Studiosum vere studiosum, opes S. Theologiæ plu-
 res auctioresque sibi comparavit, sub ductu Theologorum Celeberrimorum, Calixti, cujus domi-
 cilio gavifus est, Schmidii & Wideburgii. In Exegetico studio exercendo, Hebræorum ritibus
 cognoscendis, & Rabbiniis discendis, præcipue delectatus est industria longe Meritissimi Viri,
 Hardtii, Linguarum Orientalium Professoris. Cellis deinceps per sex menses respiravit à cursu,

in optimarum litterarum studio fere ad metam perducto, cum Anno MDCXCVII. quo Pax Ryss-
 vicensis Summorum Europæ Procerum consensu facta, iter susciperet ad Batavos, ubi conversa-
 tione eruditissimorum virorum usus, & rerum variarum cognitione curiosa utilique instructior red-
 ditus, profectus in omnigenæ sapientiæ acquisitione cepit amplissimos. Ita se insinuavit in ami-
 citiam Viri Excellentissimi, & rerum publicarum peritissimi, Liberi Baronis DE SCHUTZ, Con-
 siliarii Intimi, & Legati Brunsvicensis & Lüneburgensis in Angliam extra ordinem missi. Cujus
 non solum Liberis Illustribus formandis educendisque præfectus est CRUSENIUS, sed & ab Anno
 MDCXCVIII. ad Annum MDCCIII. Secretarii functus est munere, apud Illustrissimum Paren-
 tem, cui unus CRUSENIUS sufficere videbatur ad arcana status civilis scite tractanda atque expe-
 dienda. Gallici pariter atque Anglici sermonis copiam in hac statione oportuna abunde nactus est,
 & prudentiæ, qua orbis civilis regitur, interiora introscepit: at simul rerum divinarum studio,
 cui se mancipaverat, sedulam navavit operam. Nec dimoveri se passus est à proposito animi
 obfirmato, serviendi Deo & Ecclesiæ; licet ad mutandam sententiam alliceretur, titulo Residentis
 in Anglia Administris ostenso, factaque spe potiundi illa dignitate civili. Tandem reduci in pa-
 triam ad Cellenses, cura Ecclesiæ Cœnobialis Medingensis committitur Anno MDCCIII. mensē
 Octobri, cui operam suam pie dicavit, & per annos duos Matrem optimam, ad se receptam, cu-
 ris œconomicis vacare rogavit. Anno MDCCV. mensē Octobri, felicissimo sibi junxit connubio
 Virginem, dotibus omnibus venusti sexus abundantem, SOPHIAM GERDRUTAM RIEKENIAM,
 Prælecti Rabeburgensis, LEVINI DAVIDIS RIEKEN, cum debita honoris præfatione nominandi,
 filiam natu minorem. Anno MDCCX. mensē Junio, Superintendens vocatus est, qui cœtui
 Dannenbergensi præfesset, quo venit Anno MDCCXI. mensē Martio, & per tredecim annos in
 hac vinea Domini laboravit multo cum scœnore. Sed hic anno MDCCXIX. d. xxx. Novembris,
 piam Matrem, ævi saturam, ætatis anno LXXXIV. placide de vita decedere vidit. Anno
 MDCCXXIII. mensē Novembri, constitutus est Superintendens Generalis Haaburgensis Gôrdæ,
 ubi cum applausu coram Augustissimo Magnæ Britannæ Rege, GEORGIO I. isthoc anno concio-
 nes sacras semper habuerat: quam provinciam suscepit mensē Majo anni sequentis, Dominica Tri-
 nitatis. Mox tamen sacra Regia Majestas CRUSENIUM dignum judicavit, qui primam in Ecclesia
 Cathedrali Bremensi sedem occuparet, jam per biennium vacantem, post fata D. GERHARDI
 MEIERI, piæ memoriæ, magni nominis Theologi. Itaque ex Haaburgensi statione evocatus
 Anno MDCCXXV. mensē Januario, in Ducatibus Bremonsi & Verdensi Consiliarius Ecclesiasti-
 cus, Ædis vero Petrinæ summus Antistes, & ejus ac vicinarum Ecclesiarum Superintendens decla-
 ratus est: quod munus solemniter auspicabatur d. xviii. Aprilis, & ad obitum usque strenue pro-
 curabat, functioni suæ sacræ immortuus. Scholarcha quoque Scholæ publicæ fautor verus fuit,
 suosque liberos huic officinæ mentium bonarum credidit, cum successu egregio instituendos,
 Id vero superest, ut quali prole beatum fuerit conjugium B. Antistitis nostri, & in quos liberos Pa-
 rentum virtus descenderit, exponatur. Nascendi sortem lubet sequi, & decem propagines sacundi
 tori enumerare, cum voto felicitatis, & hujus vitæ mortalis, & immortalis, quæ futura est quam
 beatissima. ANNA CATHARINA primogenita Anno MDCCVI. d. xxvii. Julii, sua virtute Paren-
 tibus æque ac primatu nativitatis carissima, Conjux facta Maxime Reverendi & Doctissimi Viri,
 WOLBRANDI VOGTII, Præpositi Circuli Bremervörderensis, & V. D. M. Beverstedensis, geni-
 trix sex liberorum fuit, & quatuor superlites alit atque educat feliciter. Alter in profapia Anno
 MDCCVIII. d. vii. Aprilis extitit DAVID PATRICK, paternæ laudis ex asse hæres, cui hodie
 credita cura animarum Præsidii militaris in urbe Lüneburgensi: Is ex conjugē dulcissima, FRICKIA,
 suscepit trinam sobolem, e qua filius unus superat, cui bene sit ex voto Genitoris Reverendi. Tertio
 partu edita SOPHIA ELISABETHA, Anno MDCCIX. d. xxvii. Junii, socia lectissima tori Viri
 Maxime Reverendi & Doctissimi, JOHANNIS EBERHARDI RUDOLPHI RENNERT, Præ-
 positum Circuli Osteritadensis, & Pastoris Bramstedensis, tres liberos enixa, quos educat ad præ-
 clara quævis, & digna suo genere. HENRICUS CHRISTOPHORUS, Anno MDCCX. d. xxvii.
 Septembris, quartus in natorum serie, J. U. D. & Assessor Collegii Regii regendæ Provinciæ Ra-
 ceburgensi, suis decoribus coruscet, & sex liberorum parens è DITMARIA sua costa fuit, è quibus
 tres naturæ debitum nimis mature perolverunt. Quinta progenies, ANTONETTA MARIA, edi-
 ta Anno MDCCXII. d. xxx. Januarii, demortua Anno MDCCXXXI. d. xiv. Julii, desiderium sui re-
 liquit toti domui, moestæ ob perquam egregii pignoris connubialis jacturam. Sextus liberorum
 MAURITIUS FRIDERICUS, natus MDCCXIII. d. xi. Januarii, obiit & ipse ante Parentes, Anno
 MDCCXX. d. xxiv. Sept. multum defletus. Septimus JOHANNES CHRISTIANUS, natus Anno
 MDCCXXVI. d. xxiii. Aprilis, Locum tenens Prælecti nobilioris officii militaris, sub cohortibus Sere-
 nissimi Regis Daniæ, Genitorem sui amantissimum acerbe cum germanis luget. Octava progenies,
 CATHARINA MARGARETHA, procreata Anno MDCCXVIII. d. xxviii. Decembris, elegantia
 formæ & morum sibi devinxit Maritum Nobilissimum, Prælectum Schwartzbeckenensem in ditione
 Lauenburgensi, DIDERICUM CHRISTIANUM KOENIGIUM, & triplici puerperio fatata est, in-
 columesque amplectitur natos. Nonus è liberis, GEORGIUS WILHELMUS, Anno MDCCXXI.
 d. viii. Aprilis fatus, Oeconomica rei studiis captus, apud Mecklenburgenses jam agit, & tatum
 Optimi Parentis cum gemitu expendit. Decimus natorum ANDR. FRIDERICUS An. MDCCXXIX.
 d. iii. Martii susceptus, Primæ Classis Scholæ Alumnus diligentissimus, ante alios omnes dolet tunus
 paternum; sed qui unumquemque nostrum curat, tanquam unice curet, DEUS O. M. terat eum in
 oculis. Genitrix Nobilissimæ sobolis laudatissima Anno MDCCXLIII. d. v. Martii apoplexia cor-
 repta, vitæ finem vidit, cum lacrymis suorum omnium, & planctu universæ civitatis tumulo illata.
 Genitor viduus secutus est eadem via suavissimam Conjugem, die xxix. Novembris hujus Anni
 MDCCXLIV. expirans, ad commune conditorium hodie deportandus. Jam tas est compellere
 Omnium Ordinum Viros, & nostro encomio majores, & suis Nominibus Illustres, Venerabiles,
 Spectatissimos, ut quam vivo CRUSENIO, omnibus commendatissimo suis meritis, sæpe testati sunt
 benevolentiam summam ac singularem, etiam confirmant postrema honoris testificatione, & tre-
 quentes eant exequias Viri Summe Venerandi, audiantque Interpretem Virtutum Crusenianarum
 locupletiozem, parentali oratione piis manibus extremum valedicturum, & moerentem Familiam
 consolaturum, P. P. Bremæ d. viii. Decembris Anno MDCCXLIV.

